

Synodum accedere tenentur, et admitti debent solum Curati, et Beneficiati, nisi esset consuetudo, quod interveniret totus Clerus. — 28. In casu autem, quod in Synodo agendum sit de reformatione morum, vel de alia re, quæ clerum universum tangat, omnes Presbyteri, et Clerici interesse debent. — 29. Tunc tamen si Episcopus acturus sit super aliquo ex præmissis, debet facere mentionem verbis specificis in Edicto convocationis. — 30. Exempti omnes, qui alias, cessante exemptione, Synodo interesse debent, nec Capitulis Generalibus subduntur, ad eam accedere tenentur. — 31. Omnes Curati, sive sæculares, sive Regulares, tenentur ratione curæ Parochialis accedere ad Synodum, etiamsi Curati Regulares subdantur Capitulis Generalibus. — 32. Synodo interesse tenentur etiam Abbates, alique Superiores Regulares, et Prælati inferiores exempti, si per se ipsos curam Parochialem exerceant; secus autem, si per alium, quia tunc ipsi soli alteri hoc onus incumbit. — 33. Item Synodo interesse tenentur Vicarii, seu Cappellani Religionis Hierosolymitanæ curam animarum habentes. — 34. Item Synodo interesse tenentur Parochi exempti Ecclesiæ Lateranensis. — 35. Rectores Parochialium nullius Diocesis, etiamsi sint Abbates, tenentur accedere ad Synodum illius Episcopi, qui tamquam vicinior potest eos visitare. — 36. Abbates Regulares, Priores, Rectores, Guardiani, alique Superiores parvorum Conventuum, qui subiacentur jurisdictioni Ordinarii, tenentur vocati accedere ad Synodum. — 37. Et si non interveniant, potest Episcopus suo arbitrio illos multare, excepta multa pecuniaria. — 38. Conventus tamen, qui non fuerunt suppressi, et in quibus adest numerus sex Religiosorum, non comprehenduntur sub hac obligatione. — 39. Episcopus potest cogere etiam Clericos subcollectores Apostolicos, ut Synodo intersint. — 40. Episcopus potest juris remediis, etiam per censuras Ecclesiasticas compellere ad interessendum Synodo omnes supradictos obligatos Synodo intervenire. — 41. Et sic etiam juris remediis compelli possunt ab Episcopo ad interessendum Synodo Curati Regulares Parochiarum illorum Conventuum, in quibus Residentiam habent Generales suorum Ordinum, quamvis istæ Parochiæ non subiaceant Visitationi Ordinarii. — 42. In Synodo Diocesana potest Episcopus facere constitutiones, et Decreta absque consensu, et approbatione Capituli, et Cleri. — 43. Solus Episcopus in Synodo votum decisivum habet. — 44. Decreta tamen, seu constitutiones synodales, antequam usu recipiantur, debent ostendi Capitulo, et aliis interessatis, eisque duorum mensium præligi terminus, ut si se senserint gravatos, recurrere possint ad ipsum Episcopum, vel ad Sedem Apostolicam. — 45. Non tenentur tamen Episcopus Synodum ostendere civitati, vel Laicis, antequam imprimatur, vel promulgetur. — 46. Dum Romæ revidentur Decreta synodalia, non convenit, quod Episcopus procedat ad eorum executionem. — 47. Non tenentur tamen Episcopus ante Synodi publicationem ejus Decreta Romam mittere. — 48. Constitutiones, seu Ordinationes factæ in Synodo sunt perpetuæ, et non expirant morte conditoris. — 49. Constitutiones, seu Ordinationes synodales ligant Clericos, et Laicos Episcopo subjectos. — 50. Tales autem Constitutiones synodales ex defectu auctoritatis non obligant Regulares. — 51. Servanda tamen est Synodus a Regularibus quoad tempus humationis cadaverum. — 52. Item servandæ sunt constitutiones synodales a Regularibus in iis omnibus, quæ concernunt observantiam Sacrorum Canonum, Conciliorum, Pontificalium constitutionum, et Decretorum S. Congr. — 53. Delenda est pena Excommunicationis in Decreto synodali contra Moniales scribentes, vel recipientes Literas, quas Abbatissa non legerit. — 54. Expensis propriis vivere debent Canonici cuncti ad Synodum, et non gravare Capitulum. — 55. Canonici Ecclesiæ Colle-

giatæ cedere debent locum in Synodo Beneficiatis Ecclesiæ Cathedralis. — 56. An Canonici, et Clerici Cathedralis sedere debeant in Synodo ad dexteram, Canonici vero cum Clero Collegiatæ ad sinistram. — 57. Beneficiati tamquam singuli, et vocati ab Episcopo possunt intervenire Synodo, et in loco iuxta præscriptum Pontificalis. — 58. Adducitur Decisio S. Rit. Congr. in una Spoletana juris sedendi in Synodo pro Collegiatis S. Petri, et Sancti Georgii Civitatis Spoletæ cum Capitulo Cathedralis ejusdem civitatis. — 59. Affertur Decisio Sacræ Congregationis Episcoporum in una Senogallien. de duobus Curatis reclamantibus in Synodo adversus illius Decreta. — 60. In fine Synodi non interrogatur Clerus per verba *Placetne vobis.* — 61. Non licet Episcopo cogere etiam multos singulos Presbyteros, et Clericos ad Synodum impressam retinendam. — 62. Ad Synodum Diocesanam non tenentur adire omnes Canonici Collegiatæ, sed tantum ex his quatuor, nisi adsit legitima consuetudo in contrarium. — 63. Simples Sacerdotes tenentur servire Ecclesiæ Cathedrali diebus Festivis iuxta consuetudinem, et constitutiones Synodales. — 64. Decreto synodali prohiberi non potest, ne Regulares celebrent ex Legato in Ecclesiis secularibus. — 65. Synodali Decreto vetari non potest, ne in aliis Ecclesiis exponatur adoranda Reliquia SS. Crucis diebus, quibus exponitur in Cathedrali. — 66. Constitutione synodali, aut alio modo potest ab Episcopis statui, ne Sacerdotes quicunque sive sæculares, sive Regulares officium exorcizandi exerceant sine speciali sua facultate sub pœnis arbitrio suo imponendis. — 67. Synodalibus constitutionibus tenentur Presbyteri Parochialium S. Joannis Hierosolymitani se conformare quoad omnia Sacramentorum administrationem, et curam animarum concernentia; et etiam ceteri Regulares in iis, quæ respiciunt curam animarum, et Sacramentorum administrationem. — 68. Constitutionibus synodalibus, aliisque Legibus etiam per edicta panditis ab Episcopo sine Capituli consilio, et assensu subijcitur idem Capitulum. — 69. Synodus Alexamen. celebrata anno 1759. fuit declarata nulla. — 70. Alia ad rem. *Remissive.* — 71. Concilia Provincialia quolibet triennio; Diocesana vero Synodis quotannis renovari jubentur a Concilio Tridentino. — 72. Ad Synodorum et Conciliorum celebrationem Archiepiscopos et Episcopos Benedictus XIV. hortatur. — 73. Episcopis, qui ob aliquod impedimentum Synodos congregare nequeunt, alii suppetunt modi Dioceses administrandi. — 74. Sola Synodus Generalis insignitur titulo *Sanctæ.* — 75. Ad quam definienda indicatur Synodus Generalis. — 76. Convocatio Diocesana Synodi pertinet ad potestatem jurisdictionis. — 77. Quo loco congreganda sit. — 78. 84. Si duæ sint Cathedrales æque principaliter unitæ, in qua ex utraque Synodus congregari debeat. — 85. 86. De antiqua et hodierna disciplina congregandi Synodos Provinciales et Diocesanas. — 87. 88. Benedictus XIV. reprehendit Episcopos, qui ex sola socordia et negligentia Synodum celebrare prætermittunt. — 89. De loco ubi sessiones Synodales haberi solent. — 90. Synodis Generalibus Imperatores et Principes adstiterunt, non ut Judices, sed ut Defensores. — 91. Unde istis discedentibus Synodi auctoritas non minuitur. — 92. Synodis autem Provincialibus Laici ejusdemque Dignitatis intervenire non consueverunt. — 93. Hinc quædam ex his Synodis ob Laicorum potentiam præsentiam reprobata sunt. — 94. Possunt tamen Laici interesse quibusdam circumstantiis concurrentibus. — 95. 96. Quibus exceptis nullus Laicus jus habet interveniendi Synodis Provincialibus. — 97. 98. Possunt tamen Laici interesse Synodis tanquam meri Auditores, seu testes eorum, quæ decernuntur. — 99. Episcopi tamen non nimis faciles se præbeant in Laicis ad Synodum invitandis. — 100. 102. De jure hodie non licet introduci Laicos ad Synodos Dioc-

cesanas. — 105. 105. De loco et tempore denunciationis Synodi celebrandæ. — 106. Synodus Diocesana triduo absolvitur. — 107. Quænam agenda prima die. — 108. Quænam secunda. — 109. 114. Quænam tertia. — 115. 116. De ordine sedendi in Synodis. — 117. 118. Quænam agenda sint in Synodis. — 119. In Synodis abstinendum est a quocumque verbo, quo videatur reprobari opinio inter Catholicos controversa. — 120. 125. An Synodales Constitutiones, aliæque Sanctiones extra Synodum, consulto Capitulo, latæ, Episcopo moriente, vel Diocesim relinquente, in suo robore durent. — 124. Potest aliquis a Constitutionibus Synodalibus eximi per dispensationem. — 125. A quo Constitutiones Synodi Provincialis relaxari possint. — 126. 128. Constitutionum Synodalium vires an retardentur per appellationem ad Superiorem. — 129. Cavere debet Episcopus, ne Clericos sub censuris, et multis compellat ad emendum codicem Constitutionum Synodalium. — 130. Solus Episcopus, vel ejus Delegatus subscribendi jus habet Synodo Diocesana, solusque ipse in eo votum decisivum habet. — 131. 134. Quinam subscribant Synodo Generali. — 135. Synodo Provinciali subscribunt omnes Provincie Episcopi, uti Judices. — 136. Non autem Capitula, seu Canonici Cathedralium, nec Synodis Provincialibus, nec Diocesanis. — 137. Synodus Generalis nullam vim obtinet, nisi sit a Summo Pontifice confirmata. — 138. Synodus Provincialis debet recognosci, et approbari a Summo Pontifice. — 139. Non vero obstringit universam Ecclesiam, nisi Pontifex expresse dixerit. — 140. Synodus Diocesana non oportet, ut Romam mittatur pro revisione et confirmatione, sed sine alterius approbatione vim

ARTICULUS I.

De his quæ concernunt concilium ut sic, et concilium generale.

1. Concilium dicitur a *Con* et *cilium*, quia ibi omnes congregantur, ut conveniant, sicuti cilia oculorum, dum clauduntur, conveniunt, secundum Hug. et Archid. in *cap. Canones n. 1. dist. 15.* et Fagnan. in *cap. Ex parte 3. de Capellis Monachor. num. 10.* Unde in *cit. cap. Canones 1. Distinct. 15.* sic expresse dicitur: « Cilia enim oculorum sunt; unde qui sibimet dissentiant, non agunt Concilium, quia non consentiunt in unum. . . Concilii vero nomen, » dicit ipsemet Canon, « tractum est ex more Romano; tempore enim, quo causa agebatur, conveniebant omnes in unum, communique intentione tractabant; unde Concilium a communi intentione dictum quasi Consilium; dicitur in l. Literam transeunte. » 2. Sic ut observat Silvester *verb. Concilium numer. 1.* a societate multorum in unum concedentium appellatur. 3. Concilium igitur, quod Græci *Synodum* appellant, quantum ad nostrum propositum, sumitur pro Cœtu, seu pro Conventu Sacerdotum, maxime Episcoporum pro resolvendis rebus Fidei, seu aliis gravioribus Ecclesiæ negotiis, a legitimo Superiore congregatorum. Et Concilium sic appellatum est triplex, scilicet Generale, Provinciale, et Episcopale. 4. Concilium Generale, seu *OEcumenicum* est illud ad quod a Summo Pontifice convocantur omnes Episcopi totius Orbis, ut

(1) De hæcenus dictis non erit inutile conferre Abbatem Salmon in Tractatu Parisiis edito 1724.

legis habet in Diocesi. — 144. In fine Synodorum fieri solent faustæ acclamationes. — 142. 143. De fine Concilii Trident. et confirmatione petenda a Sanctissimo. — 144. 145. Acclamationes Patrum in fine Concilii. — 146. 147. Acclamationes in Concilio Provinciali Mediolanensi sexto. — 148. Acclamationibus de more absolutis Rever. Patres ad Illustriss. Metropolitanum pro osculo pacis accesserunt. — 149. Postea Metropolitanus Synodo solemniter benedixit et Indulgentiam centum dierum concessit. — 150. Post Acclamationes in Conciliis Provincialibus omnes Episcopi accedunt ad osculum pacis a Metropolitanis accipiendum. — 151. 152. Etiam in fine Synodorum Diocesanarum aliquando fieri solent dicte Acclamationes, licet rariius. — 153. 154. Traduntur Acclamationes factæ in fine Synodi Diocesanæ XI. Mediolanensis. — 155. Acclamationes fieri solite in fine Synodi. — 156. Synodus Diocesana Presbyterium ab antiquis frequenter appellatur; item Concilium civile. — 157. Episcopus causam, cur Synodum non celebravit, debet afferre in visitatione Liminum Apostolorum. — 158. Licet Eminent. Cardinalis Urtis Vicarius Synodum Diocesanam celebrare possit, non tamen tenetur. — 159. Item intelligendum est de Episcopis Cardinalibus Suburbicariis. — 160. Si Episcopus inconsulto Capitulo novas ediderit Constitutiones, sanare illas poterit S. Concilii Congregatio. — 161. Si Statuta Synodalia etiam populum respiciant, promulganda sunt extra Synodum. — 162. In Belgio sine regio consensu ægre Synodorum publicatio permetteretur; in Gallia vero non tenentur Episcopi literas regias petere. — 163. Alia de Acclamationibus in Synodis Diocesanis.

singuli competenter conveniant, nisi canonico impedimento fuerint præpediti; *cap. Placuit, distinct. 18. et cap. Ego 4. de Jurjurando.* (5. Concilium Provinciale est illud quod congregatur ex Suffraganeis certæ Provincie auctoritate Metropolitanis ad definiendas causas spirituales illius Provincie, quæ non sunt ex majoribus, Summoque Pontifici reservatis; et nomine Concilii Provincialis venit etiam Concilium Nationale, in quo videlicet omnes Archiepiscopi, et Episcopi certæ Nationis sub uno Primato, vel Patriarcha conveniunt. (6. Concilium Episcopale (seu Synodus Diocesana) est illud, quod ob idem motivum, et finem ac Provinciale congregatur auctoritate Episcopi Diocesanis (1).

(7. Concilium Generale absque auctoritate Romani Pontificis celebrari non potest; *cap. Synodum 1. cap. Regula 2. et c. Multis 5. dist. 17.* cum similibus; et *Const. Pelagii II. incip. Manifesto,* ibi: « Generalem Synodum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi Beati Petri singulari privilegio est tradita; » *Constit. Leonis IX. incip. Cum ex eo,* ibi: « Nolo vos lateat, non debere præter sententiam Romani Pontificis universale Concilium celebrari. » *Constit. Pii II. incip. In minoribus,* ibi: « Inter Concilia nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Pontifice, absque ipsius auctoritate convenerit; quia non est corpus Ecclesiæ sine Capite; et omnis ex capite defluit in membra potestas. » *Constitut. Leonis X. incip. Pastor æternus,* in *Concil. Lateranensi sess. 11. tom. 4. Concil. part. 2.*

p. 111. cap. 2. de l'étude des Conciles. (Edit. Barbiell.)

pag. 120. ibi : « Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, et transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, et potestatem habere, ne dum ex Sacrae Scripturae testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, Sacrorumque Canonum decretis, sed propria, etiam eorumdem Conciliorum Confessione manifeste constat, » et ibi Pontifex aliqua talia Concilia recenset. (8. Unde Concilium non dicitur, sed Conciliabulum, seu Conventiculum, quod sine auctoritate Romani Pontificis celebratur; *cap. multis dist. 17.* ubi ex Pelagio II. scribente ad Episcopos, qui convenerant ad Concilium Universale a Joanne Patriarcha Constantinopolitano temere convocatum, sic habetur : « Multis Apostolicis, et Canonicis, atque Ecclesiasticis instrumur Regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilium celebrari. Quapropter recte non Concilium, sed vestrum Conventiculum, vel conciliabulum cassatur, et quidquid in eo actum est, irritum habetur, et vacuum. » (9. Et hoc adeo verum est, ut etiamsi ab initio Concilium fuerit auctoritate Apostolica congregatum, tamen si postea per Romanum Pontificem dissolutum, aut alio translatum fuerit, ex eo tempore remaneat Acephalum, sed Conciliabulum; *c. Clericus 24. q. 3. et cap. Submittitur dist. 21.* ibi : « Alioquin Acephalum liquet esse Concilium. » Et fuit definitum in Concilio Lateranensi sub Leone X, *sess. 11. tom. 4. Conc. p. 2. pag. 120. col. 2.*

(10. Hinc tamquam Conventicula, et Conciliabula fuerunt semper reprobata Concilia, quæ vel non a Summo Romano Pontifice, vel non ejus auctoritate ab Imperatoribus indicta sunt. (11. Hoc titulo reprobatum est in Synodo Romana a Gregorio II. Conciliabulum Constantinopolitanum trecentorum Episcoporum congregatum an. 730. eodem Gregorio renitente a Leone Isauro Imperatore. (12. Eadem ratione in Concilio Romano a Stephano IV. anno 769. rescissa sunt acta Conciliabuli Constantinopolitani pseudo-septimi universalis, a Constantino Copronymo Leonis filio congregati anno 754. (13. Eadem causa in Concilio Lateranensi V. reprobatum est Conciliabulum Pisanum contra Julium secundum Papam indictum an. 1511. (14. Sic ab Eugenio IV. an. 1433. fuerunt cassata, irrita, et annullata omnia, et singula statuta, et decreta edita a Concilio Basileensi, postquam ab ipso fuerat ibi dissolutum, et Bononiam, inde Ferrariam, et ultimo Florentiam translatum. Et sic de cæteris dicendum, cassata, et infirmata esse Concilia, quæ absque auctoritate Romani Pontificis convocata, seu continuata esse constat, et inter Acephala, et Schismatica Conciliabula numeranda esse. (15. Nec juvat objicere, quod olim Imperatores convocabant ipsi Concilia, quæ tamen sunt habita, ut vera, Canonica, legitima, et OEcumenica Concilia, et non Conventicula,

et Conciliabula, ut patet de Nicæno primo convocato a Constantino Magno, de Constantinopolitano primo a Theodosio seniore; de Ephesino a Theodosio Juniore, de Chalcedonensi a Marciano, et sic de aliis. (16. Non juvat, inquam, sic objicere, quia respondetur, quod tales Imperatores, et alii, qui convocarunt Concilia, non convocarunt *coactive, et auctoritative*, sed solum *exhortative, et opitulative*. (17. Hæc enim est differentia inter Pontificem, et Imperatorem in convocatione Conciliorum : Papa indicit Concilia auctoritative, et potestative mandat Episcopis congregari; Imperator vero exhortative, et opitulative, in quantum suadet, et exhortatur, immo tamquam executor mandati et voluntatis Pontificiæ opitulatur, ac brachium, et adjutrices manus porrigit, ut tuto Patres congregentur, defendantur, et definita, juxta Romani Pontificis determinationem executioni mandentur; atque ita Romanus Pontifex efficacius, et facilius in convocatione Concilii suum consequatur intentum. (18. Unde ubi legitur, Imperatores sive Reges Concilia indixisse, debet intelligi, quod ipsi hoc fecerint, vel mandante, vel consulente, vel exhortante ad id Romano Pontifice, *ut dist. 17. per totum*, et prout D. Gregorius *lib. 4. Epist. 1.* exhortatur Theodoricum Galliarum Regem ad eliminandam Simoniam, et ad indicendam Synodum in suo Regno. (19. Quod si aliquod ex Conciliis Generalibus reperitur convocatum ab Imperatoribus, et Regibus absque auctoritate, et consilio, et consensu Romani Pontificis, numquam potuit OEcumenicum appellari, donec ipse Romanus Pontifex ratam ex suo beneplacito, et assensu haberet illius convocationem; per subsequentem enim confirmationem robor tunc obtineret, et de Conciliabulo legitimum Concilium evaderet. (20. Et dato quod aliqua Concilia fuerint ab Imperatoribus, et Regibus coacta, Romano Pontifice contradicente, et numquam assentiente : tunc illa irrita, et nulla fuerunt; immo expresse a Romanis Pontificibus cassata, et annullata, ut patet de adductis supra *sub num. 11. 12. 13. et 14.* Hæc enim in re Jus, non factum, est attendendum, et non tantum quid, sed quo Jure factum fuerit, oportet expendere. Conciliorum enim convocationem ad solum Romanum Pontificem spectare certum est, ex adductis supra *sub n. 7.* (21. Etiamsi de jure causa agatur, ut statuit Julius II. *Const. 27. incip. Sacrosanctæ.*

(22. In casu Schismatis, existentibus pluribus dubiis Pontificibus, possunt Cardinales Concilium convocare, et præcipere, ut Pontifices contententes Pontificatu se abdicent, quod ni fecerint, possunt eos sententia lata a Pontificatu dejicere, omnesque Christi fideles ab eorum obedientia absolvere, ipsisque præcipere ne eos ullo modo pro Pontificibus agnoscant, et venerentur, sed eum ut legitimum teneant, qui a Cardinalibus canonice postea eligatur. (23. Et de facto ad tollendum Schisma, quod diu, et valde Ecclesiam exagitavit, contententibus de Papatu Gregor. XII. et Bened. XIII. Pisis per

Cardinales utriusque partis congregatum fuit Concil. an. 1409. cui ex utraque factione interfuerunt viginti sex Cardinales (seu ut alii volunt, viginti tres), tres Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus, Archiepiscopi, et Episcopi centum octoginta, Abbatum, et Theologorum ingens numerus. Et adfuerunt pariter Oratores Regum Franciæ, Bohemiæ, Angliæ, Hierusalem, Cypri, Sicilia, Poloniæ, et aliorum Principum. (24. In eoigitur Pisano Concilio, duo scilicet Gregorius dictus XII. et Benedictus XIII. de Papatu contententes accusati sunt, quod concordiam contra Jusjurandum, et fidem datam ad pacem Ecclesiæ dandam inire recusarent. Hinc juridice et peremptorie ipsis citatis, subinde non comparentibus, probataque prius eorum notaria in Schismate contumacia, fuit in eos tamquam Schismaticos, perjuros, et Schismaticorum fautores pronunciata e prætenso eorum Pontificatu sententia depositionis, et declaratum, Ecclesiam Romanam vacare, et omnes ab eorum obedientia fuerunt absoluti. Exinde a Cardinalibus Conclave ingressis electus Petrus Philargi ex Minorum Ordine, Archiepiscopus tunc Mediolanensis, et Cardinalis, magna vir Sanctitatis, et Doctrina conspicuus, qui appellari voluit Alexander V. (25. Et quamvis non defuerint, qui dubitarent de legitimitate hujus Concilii, tamen cum diu Florentiæ disputatum esset a Laurentio Rodolpho, tandem conclusum fuit, licite, et canonice Concilium in tali casu convocari, et fieri potuisse; quæ fuit quoque sententia Universitatum Parisiensis, et Bononiensis, a quibus hæc fuerunt Concilio directa : « Stante dubio inextricabili Papatus propter dubium facti, et Juris, ne in subversionem Fidei Ecclesia sic maneat perpetuo divisa cum tanto scandalo, et animarum perditione, provisio spectat ad Concilium, ut utrumque, eis non cedentibus, possit a Papatu ejicere. » (26. Et legitimitas hujus Concilii, et electionis Alexandri V. aperte comprobatur, ex quo Alexander V. in Catalogo legitimorum Pontificum communiter reponatur.

(27. Ad Concilia Generalia vocandi sunt de Jure solum Episcopi, et Majores Prælati, scilicet Patriarchæ, Primates, et Archiepiscopi, ut notat Innocent. et Joan. Andreas; *in cap. Grave, de Præbend.*, et alii communiter; ad quod facit *cap. Episcopus 9. c. Placuit 10. cap. Si quis 12. cap. Si Episcopus 13. cap. Si quis Episcoporum 14. et cap. Propter 15. dist. 18. Cum similibus.* (28. Ad omnes istos spectare de Jure, et Officio in Conciliis Generalibus Jus suffragii decisivi, communis Catholicorum sententia est. Quia cum isti sub Romano Pontifice sint Pastores Ecclesiarum, ad eos pertinet ex officio sub eodem causam fieri decernere, et negotia Ecclesiastica in Conciliis OEcumenicis legitime congregatis tractare. (29. Immo eodem suffragii decisivi Jure gaudent etiam Episcopi Titulares, et ideo etiam ipsi sunt de Jure vocandi ad Generalia Concilia. Licet enim a Tyrannibus infidelibus sint occupatæ

Ecclesiæ, ad quorum titulum sunt ordinati, et consecrati Episcopi; et consequenter in actu secundo careant Jurisdictione, ex quo non habeant Territorium actuale, in quo subditis Jus dicere possint, etc.... retinent tamen jurisdictionem in actu primo quoad suas Titulares Ecclesias, quæ potest dari (et utinam pro dilatatione Fidei detur), quod liberentur a tyrannide infidelium, et sic etiam in actu secundo habeant Territorium, in quo subditis, sicuti omnes alii Episcopi, Jus dicere possint. (30. Ex privilegio autem et consuetudine vocandi sunt ad Concilia Generalia cum suffragio decisivo Cardinales etiam non Episcopi, Abbates, et Ordinum Regularium Generales. Bellarminus *lib. 1. de Conciliis cap. 15. et communis Catholicorum.* (31. Ad Concilia Generalia solent vocari etiam aliqui insignes Theologi, et Sacrorum Canonum Doctores; non quidem pro suffragio decisivo, sed solummodo pro voto consultivo. (32. Principes etiam ad Concilia Generalia solent invitari, ut per se, vel per suos Oratores intersint, tum ut Concilium defendant, et scandala, seu novitates Novatorum compescant; *ut cap. Quia Sancta 28. § Verum dist. 63.* tum ut testes, et conscii decretorum Concilii, postea transgressores et contumaces pœnis corporalibus puniant. Bellarminus *loc. citat.* ubi dicit, hanc esse sententiam communem Catholicorum; et sic patere tum ex personis, quæ interfuerunt Concilio Tridentino tum ex Turrecremata *leg. 3. c. 12. et 15.* aliisque Catholicis Auctoribus. (33. Ipsi autem Principes, sive Imperiales, sive Regali, sive alia quacumque dignitate præfulgeant, et quicumque alii Laici, quacumque scientia, doctrina, et Juris utriusque peritia conspicui, in Conciliis Generalibus suffragium decisivum non habent. *Sic communis Catholicorum* contra Lutheranos, et Calvinistas, aliosque Hæreticos; Laici enim semper sunt ab Ecclesiasticis negotiis, ut Judices excludendi; *cap. Messana, de election. cap. Debet, de Offic. Judic. Ordinar.* cum similibus. (34. Et hoc fuit observatum etiam in veteri Lege, ubi dubia Religionis, et eorum quæ ad Deum pertinebant, decidere spectabat ad Sacerdotes, et non ad Laicos; *ut ex 2. Paralip. c. 19.* ibi : « In Hierusalem quoque constituit Josaphat Rex Levitas, et sacerdotes, et Principes familiarum ex Israel, ut judicium, et causam Domini judicarent habitatoribus ejus : Amasias autem Sacerdos, et Pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit : porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in Domo Juda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. » (35. Sic etiam invenimus observatum ab exordio Ecclesiæ in Concilio Apostolorum *Actor. 15.* ubi Laici non habuerunt Jus suffragii decisivi, sed facta per Apostolos, et Seniores disquisitione super quæstione de Mosaicæ Legis ritibus, utrum necessarius esset illorum usus. Petrus sententiam definitivam pronuntiavit : *Convenerunt Apostoli, et seniores videre de verbo hoc*, id est consultare : « Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos :

Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere; » et controversiam decidit. *Quo facto*, dicit textus, *tacuit omnis multitudo*, etiam aliter sententiam, suo silentio definitivam sententiam Petri amplectens. (36. Et de facto auctoritas decidendi dubia ad Religionem, et mores spectantia, functio regendi Ecclesiam, non Laicis, sed solis Episcopis est demandata. *Actor*. 20. ibi: « Attendite vobis, et universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei. »

(37. Et hanc demandatam Episcopis auctoritatem, et sibi non concessam cognoverunt, et fassi sunt ipsimet Imperatores; Constantinus enim Magnus apud Ruffinum 1. *hist. cap.* 2. in Concilio Nicæno requisitus, ut auditis quorundam Episcoporum quærimoniis, Judex esset, illud dignum tanto Principe protulit: « Vos a Deo nobis dati estis Dii, et conveniens non est, ut homo iudicet Deos. » (38. Theodosius Junior in Epistola ad Ephesium Concilium, quæ exstat 1. *tom. ejusd. Conc. c.* 32. *Illicitum est*, inquit, *eum qui non sit in Ordine Sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus*. (39. Basilius Imperator in Octava Synodo scribens ad Episcopos, affirmat, eos Judicii Synodici potestatem divinitus accepisse; ubi nota, quod non sibi, sed Episcopis eam attribuit potestatem. (40. *Et in action. 4. ex Gravina tom. 4. part. 2. Cathol. præscript. disput. 2. art. 8. § Confutatio num. 30.* legitur: « Imperatores nostri miserunt servos suos, qui Senatus vocantur, ut simus discretivi eorum, quæ geruntur, Auditores; » quibus verbis, ut clare patet, Senatores illi latentur sese testes solummodo discretivos, hoc est, distincte cognoscentes ea quæ per Patres in Concilio gerebantur. Et plurimæ habentur consimiles Imperatorum, aliorumque Principum confessiones, ex quibus patet, quod Jus decisivi suffragii, et sententiam ferendi in Conciliis competit solis Episcopis, et nullimode Laicis quavis auctoritate, dignitate, et doctrina fulgentibus, ut perperam prætendunt Hæretici protestantes, alique hujus furfuris viri. (41. Tum quia hoc non spectare ad Laicos, sed ad solos Episcopos clare deducitur ex Conciliis hucusque celebratis; omnium enim Conciliorum Decreta ab episcopis solis facta esse patet ex subscriptionibus. (42. In omnibus enim Conciliis reperimus solos Episcopos subscripsisse, exceptis paucis Generalibus, quibus etiam Imperator subscripsit, sed alia forma, quam Episcopi; Episcopi enim definiendo, ut Judices; Imperatores consentiendo, subscripserunt. (43. Immo quibusdam etiam paucissimis exceptis, ut Florentino, Lateranensi, et Tridentino, quibus subscripserunt Abbates, et Generales Ordinum Regularium, nulli alii umquam, quamvis optimi et doctissimi, sunt admissi in Conciliis legitimis ad Suffragium decisivum, et consequenter ad definitivam subscriptionem, ut observat Bellarminus 1. *de Conciliis cap. 15.* (44. Et per hoc supra num. 30. et sequent. fuit dictum, quod solum ex privi-

legio, et consuetudine vocandi sunt Cardinales non Episcopi. Abbates, et Generales Ordinum Regularium ad Generalia Concilia cum suffragio decisivo; et solum pro ferendo voto consultivo solere vocari aliquos insignes Theologos, et Canonistas, et ut Defensores, et pro ampliativa observantia Conciliorum Decretorum potissimi adjutores, et executores solere vocari etiam Principes.

(45. Soli Romano Pontifici competit Jus auctoritative præsidendi, vel per se vel per suos Legatos in Conciliis Generalibus. *Est communis inter Catholicos, contra Lutherum, Calvinum, Vergerium, et alios volentes Imperatorem Concilio Generali præesse, et ipsum sua auctoritate confirmare; solus enim Pontifex Romanus est omnium Pastor, et a Christo Primatum habet in tota Ecclesia, et is solus potest facere, ut reliqua Ecclesiæ capita conveniant in nomine Domini; Matth. 18. vers. 20.* idest auctoritate a Christo emanante; et vere non Tiberio Imperatori, sed Petro piscatori tradidit Christus claves, et Regimen totius Ecclesiæ suæ; *Matth. 16. vers. 19. c. Joann. ultimo vers. 15.* Nec enim dixit Imperatori *pasce oves meas*, sed Petro, per quæ verba auctoritati Pontificiæ Christus subjecit, nedum Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, sed etiam Reges, et Imperatores, idem enim est, ac si dixisset Christus Petro ex Chrysostomo in hunc locum: « Esto præpositus loco mei, et caput Fratrum tuorum; unde sicut Christus in medio sedet eorum, qui congregantur in nomine suo, quibus obscura legis explicat, *Joan. 16. vers. 13.*: sic etiam sedere debet Summus Pontifex in medio Episcoporum, tanquam Judex Supremus; Christus enim plenissimam potestatem Petro, et Successoribus ejus plenissime commisit; S. Cyrillus Alexand. apud S. Thomam contra errores Græcorum, *Opuscul. l. 1. cap. 32. Titulo de Romano Pontifice.* Cum ergo habeat plenissimam potestatem, non tantum convocare potest Prælatos ad Concilium, sed insuper in illo auctoritative præsidere tanquam Supremus Princeps sive per se, sive per Legatos. (46. Et revera in omnibus hucusque celebratis Generalibus Conciliis semper præsedit auctoritative Romanus Pontifex sive per se, sive per suos Legatos. (47. Nec valet objicere, quod in multis Generalibus Conciliis præsederint Imperatores, ut Constantinus in Nicæno, Martianus in Chalcedonensi, et sic de multis aliis: non valet, inquam, quia licet in aliquibus generalibus Conciliis, maxime Orientalibus, præsederint Imperatores præsentia *honoraria*, numquam tamen præsederunt præsentia *auctoritativa*, et per hoc notanter dicitur in conclusione, quod soli Romano Pontifici competit Jus præsidendi *auctoritative*. (48. Unde ad faciliorem intelligentiam notandum est, quod alia est præsentia *auctoritativa*, et alia est præsentia *honoraria*. Præsentia *auctoritativa* dicitur ab auctoritate proponendi in Concilio quæ pertractanda sunt cum jure ferendi suffragium, et determinandi, ac decidendi, quæ expedire videntur, et insuper

cum auctoritate coactiva compescendi etiam per Censuras Ecclesiasticas, et alia juris remedia contradictores, et rebelles, et contumaces, prout ex Constitutione 11. Martini V. incipiente: *Dum onus.* (49. Et hæc præsentia competit Romano Pontifici per proprietatem, quam suis Legatis communicat, ut eisdem Conciliis, ipso absente, præsent, semper tamen cum subordinatione ad ipsum, ad quem spectat res ultimo decidere et definire. (50. Præsentia *honoraria* dicitur a loco honoratori, eminentiori, et digniori in consessu Concilii habito. (51. Et hæc præsentia fatemur Imperatores nonnullis Conciliis Generalibus in Oriente celebratis præsedisse, cum ad ipsa numquam interfuerint per se ipsos Summi Pontifices, ut patet ex *Epistola 17. Leonis Papæ ad Theodosium, et 47. ad Concilium Chalcedonense*, ubi dicit se non venire ad Synodum, quoniam id non patitur consuetudo, nec ulla Prædecessorum habet de hac re exempla. (52. Sed semper miserunt ad præsidendum *auctoritative* suos Legatos, ante quos, utcumque tolerabile esset, in loco eminentiori, et digniori sedebant in Concilio Imperatores; (53. Quibus tamen numquam fuisset permissum sedere in loco eminentiori, digniori, quam Summus Pontifex, si ipse personaliter interfuisset; (54. Uti patet in Concilio Florentino in initio, ubi nullatenus fuit permissum, uti Græci contendebant, ut in summo loco sederet eorum Imperator, et Summum Pontificem præcederet.

(55. Soli etiam Romano Pontifici competit Jus auctoritative confirmandi Concilia Generalia, et absque illius confirmatione Decreta in illis robor non habent; ut colligitur ex *cap. Reg. 2. cap. Nec licuit 4. c. Multi 5. cap. Concilia 6. dist. 17.* et habetur in *cap. Significasti 4. de election.* ibi: *Cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, et facta sint, et robor acceperint.* Et in Constitutione Gelasii Primi incip. *Valde § 16.* ibi: *Prima sedes (scilicet Romana) unamquamque Synodum confirmat sua auctoritate.* (56. Et de facto est praxis Patrum Conciliorum petere semper a Romano Pontifice confirmationem eorum, quæ in Concilio statuerunt. Patres Concilii Nicæni (quod fuit norma et regula cæterorum) per Epistolam Synodicam petierunt a S. Silvestro, ut auctoritate Apostolica decreta Concilii confirmaret. *Nunc itaque* (sunt propria eorum verba) *nunc itaque ad vestræ Sedis augmentum accurrimus roborari; et infra: Quidquid autem constitui-mus in Concilio Nicæno, precamur vestri oris consortio confirmetur.* Silvester autem petitioni Patrum annuens Concilium Nicænum confirmavit, ut sequitur: « Quidquid in Nicæa Bithyniæ constitutum est ad robor Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ, et Apostolicæ, a Sanctis Sacerdotibus trecentis decem et octo, nostro ore conformiter con-

(*) Firmo remanente Romani Pontificis Jure Conciliorum Generalium confirmandorum, monitum Lectorem volumus, tum Epistolam Concilii Nicæni

firmamus; Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem Sancti et Magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia piissimi, et venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus. (1) » Sic ex Concilio Rom. III. sub eodem Silvestro celebrato anno 325. apud Bail. *Summ. tom. 2. Concil. sæcul. IV.* (57. Et similiter Patres, seu Legati, qui nomine Romani Pontificis in aliis Conciliis Generalibus præsederunt, confirmationem petierunt, et obtinuerunt ab ipso solo Romano Pontifice, ut, omnibus aliis brevitate gratia relictis, constat ex Concilio Tridentino, in cujus fine habentur verba ipsa, quibus Patres ipsum Concilium a Pio IV. confirmari postularunt, ut sequitur: « Illustrissimi Domini, Reverendissimi Patres, placet ne vobis, ut ad laudem Dei omnipotentis huic Sacræ Oecumenicæ Synodo finis imponatur, et omnium, et singulorum, quæ tam sub fel. record. Paulo III. et Julio III. quam sub Sanctissimo Domino Nostro Pio IV. Romanis Pontificibus, in ea decreta, et definita sunt, Confirmatio nomine hujus Sanctæ Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos, et Præsidentes a Beatissimo Romano Pontifice petatur? » Patres responderunt: *Placet.* (58. Et confirmationem ab ipso Pontifice in executionem Decreti petierunt Cardinalis Moronus, et Simoneta, qui tunc Legati, et Præsidentes erant, quibus Pontifex annuens, et Concilium confirmavit, omnibusque fidelibus observantiam præcepit, ut patet ex verbis propriis ipsius Pontificis, in Resp. incip. *Petitioni nomine Concilii Oecumenici Tridentini.* ad finem ipsius Concilii, et Constitutionis incip. *Benedictus Deus.*

(59. Nec officit, quod reperiantur etiam plures Conciliorum confirmationes factæ ab Imperatoribus ad postulationem etiam Patrum ipsorum Conciliorum, ut patet de Concilio Constantinopolitano primo, ubi Patres in Epistola incip. *Initio*, rogaverunt Theodosium Seniores, ut decreta Concilii confirmaret, ibi: *Cupimus abs te, humanissime et piissime Imperator, diplomate tuo Synodi sententiam confirmari . . . placita Synodi ad finem prædicta subscriptione tua munias;* et consimiliter reperitur de aliis. (60. Non officit, inquam, quia licet Imperatores etiam ad petitionem ipsorum Patrum aliquando Concilia confirmarint, et sua subscriptione munierint, numquam tamen *auctoritative*, ut Summ. Pont. sed solummodo *testificative*, vel *receptive*, aut *executive*. (61. Unde ad hoc juvat notare, quod triplex est confirmatio: Prima est confirmatio *testificativa*, in quantum per ipsam testificatur unio, et concordia in edendis Decretis Conciliaribus, et talia esse vere, et realiter decreta edita in tali Concilio. (62. Secunda est confirmatio *receptiva*, aut *executiva*, in quantum per ipsam recipiuntur, seu acceptantur Decr. Conc.

ad Silvestrum, tum ejusdem Silvestri ad Concilium, nec non acta Romani Concilii hoc numero laud. inter suos scripta esse recensenda, ut omnes